

testis enim est in primis s. Cyprianus, qui refert puellam quamdam continere visceribus non potuisse eucharistiam sibi præstitam postquam gustaverat de idolothytis, et solum commemorat calicem (1). Idem mos adhuc retinetur in ecclesia græca et in ecclesiis orientalibus, uti testantur Arcudius (2), Allatius (3), atque Goarius (4). Pari ratione idem ritus tamdiu apud Latinos obtinuit, quamdiu eucharistia statim post baptismum administrata est (5), quia cum prætenella ætate panem infantes suscipere non possent, solus sanguis digito sacerdotis dabatur eis sugendus (6).

III. Desumitur ex communione domestica fidelium, qui persecutione sæviante, in proprias aedes sacra dona deferebant; et quidem sub unica panis specie, arca ut plurimum lignea inclusa. Hujus consuetudinis testes habemus Tertullianum (7), et Cyprianum (*Lib. de Lapsis*, p. 189) nec non s. Zenonem Veronensem, qui scribit: *Omniibus perque unus panis cum ligno datur* (8), quibus verbis, adnotantibus FF. Balleriniis, s. Zeno significavit eucharistiam in arca lignea domum deferendam (9). Ejusdem præterea consuetudinis exempla reperimus in Actis ss. Indis et Domnæ apud Surium (10) in Actis s. Eudoxiæ apud Bollandum (11), aliæque non pauca, de quibus

(1) *Lib. de Lapsis* edit. Maur. p. 189. Sic enim scribit: «Reluctanti licet (puellæ) de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus. In corpore atque ore violato eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas.» Alia ejusdem sancti testimonia cf. in Pref. edit. Maur. §§. 13. et 14.

(2) *De concord. Ecclesiæ occident. et orient.* Lib. III. cap. 40.

(3) *De Ecclesiæ occid. atq. orient. perpetua consensione.* Colon. Agrip. 1648. Cf. ad diss. de Missa præsanctif. anct. de communione orient. sub unica specie auctore Bartoldo Nihusio, et Leonis Allatii ad Nihusium ep. duas.

(4) *Ibid. attentatio Jac. Goarii* Ord. Præd. et in *Euchologio* in notis 178. et seqq. ad Missam s. Joan. Chrysostomi.

(5) Cf. Haiden in diss. cit. *De instituto Ecclesiæ infantibus*, etc.

(6) Hunc usum testatur Hugo a. s. Victore *De sacram.* Lib. I. cap. 20. his verbis: «Pueris recens natis idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito sacerdotis. Quia tales naturaliter sugere possunt.»

(7) *Lib. II. Ad uxorem.* Cap. 3. dicens «Non sciet maritus (ethnicus) quid secreto ante omnem cibum gustes? et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur?» Cf. not. Rigaltii in h. l.

(8) *Lib. I. Tract. XIV.* edit. Ballerin. Veronæ. 1759.

(9) Adnot. 48. in loc. cit. qui id confirmat ex eo, quod idem s. Zeno scribit. *Tract. V. n. 8.* de gentili viro cum femina christiana conjuncto: «Arrepto, inquit, forsitan sacrificio tuo tuum pectus obtundet, tuam faciem deformabit.» Capsulis enim ligneis, (subdunt Balleriniis) in quibus sacrificium, id est eucharistia condebatur, ictus et vis ejusmodi congruit, ut et pectus obtundere et faciem deformare possent. Huc forte respicit Cyprianus in *lib. de lapsis* mentionem faciens mulieris, quæ cum arcam suam, in qua Domini sacramentum fuit, aperire tentasset, igne inde erumpente deterrita est, ne auderet attingere.

(10) Ad diem 26. Septembris.

(11) *Acta ss. Mens. Mart.* tom. I. pag. 49. ubi cap. 12. n. 44. hæc leguntur: Verum antequam traderet ultro se lupis agna Christi, brevi mora impetrata prodeundi, accurrit in sacram ædem, reserataque illic arcula in qua divinum donum reliquiarum sancti corporis Christi servabatur, inde particulam acceptam sinu recondidit, et sic statim cum militibus abiit.»

egerunt Sandellius (1), et Berlendis (2). His adjici debent monachi in vastis solitudinibus degentes, qui secum eucharistiam asportabant sub unica specie, ut de eadem decurrente tempore participarent, testibus s. Basilio (3), Theodoro Studita (4), et biographo s. Lucæ Eremitæ apud Combefisium (5) et Bollandum (6).

IV. Classis demum, ut alia præteream, coalescit ex ipsa communione publica, quæ nimirum in Ecclesia frequentari solebat. Etenim s. Leo M. Serm. IV. de Quadrag. observat diu in Ecclesia Romana latuisse Manichæos, qui eucharisticum panem cum ceteris accipientes abstinere a vino. Jam vero latere non potuissent, nisi libera sub unica specie panis fuisset communio, alioquin ob rei singularitatem statim notati ac deprehensi fuissent. Nec Romæ solum, sed et Constantinopoli eandem viguisse libertatem, constat ex facto, quod de pervicaci muliere Macedoniana refert Sozomenus (7). Huc pariter refertur missa præsanctificatorum, in qua non præbatur communio, nisi ex particulis præconsecratis. Hanc autem missam ab immemorabili frequentant Græci toto quadagesimæ tempore, diebus dominicis exceptis; Latini autem eam celebrant sacro Parasceves die (8). Ipsi denique protestantes non cogunt abstemios ad summptionem calicis prout nunquam eos cogit Ecclesia: jam vero non exiguo numero hi semper fuerunt, quibus tamen juxta adversariorum principium communio sub unica specie deneganda fuisset.

Constat igitur certissimis documentis, nunquam Ecclesiam judicasse communionem sub utraque specie omnibus et singulis necessariam esse ad salutem, aut aliquid Christi extare præceptum, quo ad eam fideles omnes adigantur (9).

(1) *De sacris synaxibus*, cap. 19. ubi turriculam sacramentariam ex argilla rubricata, Romæ et cœmeteriis effossam exhibet ad prototypi magnitudinem expressam, cujus iconem eidem misit eques Jo. Passeri descriptione hæc addita: «forma quadrata est, ut quodammodo altaris imaginem redoleat, quod ex quadrato lapide atque unico constare solebat. . . . Hujusmodi unum integerrimum habeo Pisauri, ex antiquissimo s. Mariæ Magdalene n. nasterio erutum, in cujus fronte crux ampla excisa est cum Christi benedictantis imagine.» Testatur præterea idem eques similibus turricularum fragmenta non semel se Romæ in cœmeteriis collegisse «Adherentibus, sive aliquando divulsis lucernis non adhuc argilla turriculæ agglutinatis, ut perenni lumine, aliquis etiam in privatis aedibus honor mysterio tam venerabili tribueretur.» Mirum vero non esse subdit, si vasculorum hujusmodi fragmenta plurima in iis locis inveniuntur «in quibus sæpe vivi latitabant, et mortui tumulabantur.» Ex his porro monumentis non solum hæreticos, sed et Courayerium refelli apertum est, qui negant ullum cultum antiquitus eucharistiæ delatum esse.

(2) *De oblationibus ad altare. De oblationibus communibus* § 3.

(3) Ep. XCIII. *Ad Casariam patriciam de communione* ed. Maur.

(4) *Lib. I. epist. LVII.* tum in ejus vita § 91. inter op. p. Sirmoudi. Paris. 1696. tom. v.

(5) *Tom. II. Novi auctarii biblioth. Patrum.*

(6) *Acta ss. mens. Febr. ad diem VII.* pag. 92. n. 42.

(7) *Hist. Ec. Lib. VII. cap. 3.* et ex eo Nicephorus lib. XIII. cap. 7. Baronius ad an. 400.

(8) Cf. Diss. Allatii *de Missa Præsanct.* ad calcem op. *de Eccles. occid. et orient. consensione.*

(9) Cf. Bellarmin. *lib. IV. de Euch.* cap. 21. Bossuet, *Traité de la communion sous les deux espèces.* Pelléa op. et diss. cit. ubi pag. 78. et seqq. luculenter ostendit.

DIFFICULTATES. — I. *Obj.* 1. Quod Christus jam præceperat in verbis promissionis Jo. VI. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; 2. denique inculcat in verbis institutionis Matth. XXVI. 27. dicens: *Bibite ex hoc omnes*; 3. quæ verba verum mandatum continent non secus ac superiora: *Accipite et manducate*; 4. imo, uti observat Lutherus, prævidens Christus aliquos aliquando futuros, qui vellent fideles a calice arcere, in sola porrectione calicis dixit: *Bibite ex hoc omnes*; 5. præsertim cum apostoli tunc fideles omnes repræsentarent. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Ita ut adducta Christi verba respiciant rem sumendam, C. modum sumendi, N. Talem sanè germanum esse verborum Christi sensum aperte ostendunt Christi scopus et orationis series. Scopus enim Christi Joan. VI. fuit, promittere eucharistiam, ejusque inclcare necessitatem, et fructus exponere, uti superius ostendimus. Orationis seriè id unum pariter exposcere collatio textuum ad invicem clarissime evincit. Apposite proinde Tridentini Patres observant, quod ipse Christus, qui dixit: *Nisi manducaveritis*, etc. dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. . . . qui manducat hunc panem vivet in æternum. . . . panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hinc non immerito plures interpretes animadvertunt, particulam et in subiecta materia esse disjunctivam ex Scripturarum usu. Sic Petrus Act. III. 6. dixit claudio: *Argentum et aurum non est mihi*, id est argentum, aut aurum; Sic etiam Exod. XXI. juxta hebraicam veritatem legitur: *Qui percusserit patrem et matrem morte moriatur*, et alibi passim. Juxta horum expositionem in usu biblico fundatam, hunc sensum præ se ferrent objecta Christi verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, aut biberitis ejus sanguinem*, etc.; Quod non obscure insinuat ipse Apostolus. I. Cor. XI. 27. scribens: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.*

Ad 2. Neg. ad prob. Dist. Quæ tamen verba *bibite*, etc. respiciant præsentem. C. absentes, præsertim non conficientes, N. Etenim præter contextum, qui clare ostendit, hæc verba ad solos apostolos convivantes dirigi, aperte id habemus Marc. XIV. 23. qui executionem dominici mandati refert dicens: *Et biberunt ex illo omnes.* Dictis consonant antiquæ versiones syriaca, arabica, æthiopica apud Waltonum, in quibus sic referuntur verba Christi: *Bibite ex hoc omnes vos, seu vos omnes.*

Ad 3. Dist. Quæ proinde solos præsentem afficiunt,

1º Nunquam et nusquam absoluta liturgia assertam fuisse eucharistiam sub specie vini. 2º A primo Ecclesiæ seculo usque ad VII. nullum reperiri exemplum communionis infirmorum sub utraque specie neque apud Græcos neque apud Latinos. 3º Per quinque postea secula in ecclesia latina, id est usque ad sec. XIII. morem obtinuisse porrigendi infirmis hostiam sanguine intinctam, ob quamdam quæ inter doctores prævaluit opinionem; qui mos demum penitus evanuit. 4º Tam Græcos quam Abyssinos et Coptos, aliosque orientales, a primis temporibus ad nos usque administrasse et administrare eucharistiam sub sola panis specie. Ipsum ad.

C. secus, N. Ut enim animadvertit Maldonatus, perperam protestantes contendunt, præceptum de sumenda eucharistia illis verbis institutionis *comedite, bibite*, datum a Christo esse, cum ea non respiciant nisi solos conficientes, quibus dixit: *Hoc facite*. Præceptum enim quod omnes reipsa obliget, Christus jam dederat Joan. VI. 54. cum dixit: *Nisi manducaveritis*, etc. (1). Hinc ruunt, quæ superstructa sunt ab adversariis argumenta.

4. *Dist.* In sola porrectione calicis dixit Christus *Bibite*, etc. ut intelligerent apostoli, non totum calicem, sed partem tantum ab unoquoque esse hauriendam, C. aliter, N. Idem enim significant apud Matth. et Marcum, *Bibite ex hoc omnes*, quod apud s. Lucam, *dividite inter vos* XXII. 17. Quæ ratio non æque militat pro panis symbolo, cum Christus illud jam fregerit ac distribuerit. Hæc expositio jam ab ipsis protestantibus admittitur. Sane Kuinoel ita Christi verba exponit: *Sumite hoc, et in orbem ex eo bibite*, quæ verba plane nostris respondent, Dedit nimirum Christus calicem apostolo qui ei proximus accubebat, hic secundo, secundus tertio, et ita porro (2); ex quibus patet, se non satis acutum perhibuisse Lutherum.

Ad 5. Dist. Representabant apostoli omnes fideles eo ferme pacto, quo primates et magistratus repræsentant totam rempublicam, Tr. vel C. fideles singulos, vel N. vel subd. Quatenus exposcit eorum conditio, C. strictiori sensu, N. Alioquin non solum ipsis jus competeret conficiendi et distribuendi, sed ipsum juris exercitium, quod tamen adversarii non admittunt.

Inst. Atqui ita apostoli singulos fideles repræsentabant, ut jus isti consecuti sint ad utramque speciem percipiendam. 1. Etenim Christus, peracta consecratione, Luc. XXII. 17. dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Jam vero omnes et singuli fideles tenentur ad commemorandam Christi passionem dum communicant, ergo et ad sumendam eucharistiam sub utraque specie. 2. Quare apostolus I. Cor. XI. semper conjungit esum et potum; 3. quin imo ib. v. 26. affirmat, communionem esse sumendam in commemorationem passionis Christi, hæc porro non exprimitur, ut insinuat idem apostolus, solo panis symbolo, eo quod non satis referat sanguinis effusionem; 4. propterea v. 28. aperte docet, ab omnibus sumendam esse eucharistiam, sub utraque specie, dicens: *De pane edat et de calice bibat.* 5. Ergo tum divino mandato, tum divinæ institutioni adversantur catholici, cum dimidiata cœna, dimidiata hæreditate, sub unica tantum specie eucharistiam distribuunt.

Resp. Neg. Ant. ad 1. prob. Dist. Peracta consecratione panis illa verba protulit Christus, C. peracta consecratione calicis, N. Etenim s. Lucas, qui ea refert Christi verba, prolata ea solum exhibet post

(1) Cf. in Matth. XXVI. v. 26. 27. Sic etiam Becanus *Manuale controvers.*, lib. I. cap. 9. n. 111.

(2) *Comment. in libros N. T. histor.* in cap. XXVI. Matth. v. 27. 28.

panis consecrationem, ut intelligeremus, nullo inde fideles adstringi præcepto ad utriusque symboli sumptionem. Seu etiam rectius dici potest, Christum in adductis verbis id unum intendisse, ut nempe quoties eucharisticum mysterium celebraremus, ejus qui illud instituit, recordaremur, sive alterutrum, sive utrumque symbolum perciperemus, ut ipsi interpretes protestantes ea exponunt (1). Id enim aperte insinuat Apostolus, qui eadem verba referens, post consecrationem calicis sic Christum loquentem inducit: *Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* I. Cor. XI. 25.

Ad 2. *Dist.* Quatenus referat institutionem Christi sub utraque specie, C quatenus velit necessitatem sumptionis utriusque symboli significare, N. Etenim, ut modo vidimus, Apostolus disserens de calice, conditionate tantum, non absolute loquitur; deinde utitur particula disjunctiva dicens: *Vel biberit calicem.* Quæ quidem omnia alterutrius symboli usum commendant, minime vero utriusque necessitatem.

Ad 3. *Dist. min.* Non exprimitur in solo pane mystica representatio cruentæ immolationis, quæ fit consecrando seorsim corpus, ac seorsim sanguinem, requiriturque ad rationem sacrificii, C. non exprimitur, seu non habetur commemoratio dominicæ passionis per sensibile signum corporis Christi pro nobis immolati, et a sanguine divisi, quæque sufficiat ad rationem sacramenti, N. Permiseri præterea non debent representatio et commemoratio, minus quippe requiritur ad commemorationem, quam ad representationem alicujus rei (Cf. *Becanum loc. cit. n. 151*).

Ad 4. *Neg.* Scopus enim Apostoli in citatis verbis est ostendere necessitatem probationis, quam quisque præmittere debet, antequam ad sacram synaxin accedat, non autem inculcandi utriusque symboli sumptionem, ut constat ex orationis serie, ait enim: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* I. Cor. XI. 28. Id est: probet, seu excutiat conscientiam suam, antequam ad eucharistiam accedat.

Ad 5. *Dist.* Si sub alterutra specie non daretur totus et integer Christus, C. si totus detur, ut ostendimus, N. Ex his propterea sequitur eundem fructum, ceteris paribus, percipi sive ab eo, qui unam, sive ab eo, qui utramque speciem sumat. Falsum propterea est, per subtractionem unius symboli dimidiari cœnam aut hæreditatem, ut adversarii Ecclesiam calumniantur (2).

(1) Sic inter ceteros Georg. Rosenmüller objecta verba exponit in suis scholiis in Luc. cap. XXII. 19. « Id facite in mei recordationem, vel: quotiescumque hoc facietis, et religiosum convivium celebrabitis, gratam mei memoriam recolite. »

(2) Apposite *Becanum loc. cit. n. 5.* « Utrique, inquit, merito arguendi; calvinistæ, quia carnem et sanguinem Christi tollunt e sacramento; et tota hæreditate (ut ipsi vocant) dissipata, præter nudas tabulas, nihil relinquunt laicis: Lutherani, quia non viventem et integrum, sed mortuum et dissectum Christum legatariis distribuunt; ejusque dimidiam partem sub specie panis, reliquam sub specie vini, seorsim sumi a laicis arbitrantur. Et tamen utrique, tam Lutherani, quam Calvinistæ, posteaquam rem

II. *Obj.* 1. Patres tradunt, ex dominico præcepto quemlibet teneri ad calicis sumptionem. 2. Ita s. Cyprianus eos reprehendit, qui in calice dominico sanctificando, et plebi ministrando non hoc faciunt, quod *Iesus Christus Dominus et Deus noster sacrificii hujus auctor et doctor fecit et docuit* (Epist. LXIII. ad Cæciliam); 3. atque in sermone de cœna Domini: *Lex, inquit, esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur* (1). Similia habet s. Augustinus (Quæst. LVII. in Levit. n. 4), alique non pauci. 4. Sed neque constanti huic patrum doctrinæ obstant exempla in probationibus adducta de communionem sub unica specie; uti enim animadvertit Calixtus, cum in Ecclesiæ cœtibus utraque pars sacramenti exhiberetur, videntur aliqui e calice bibisse, panem vero manu acceptum sibi servasse, ut hoc sumpto domi absolventur in Ecclesia accepti, veluti ejusdem appendix spectari poterat. 5. Hoc vero ne deinceps fieret, Gelasius pontifex decrevit, ut omnes: *Aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire* (2). Ergo.

Resp. 1. Ad 1. *Dist.* Tradunt patres quemlibet teneri ad utriusque speciei sumptionem ex dominico præcepto late, seu improprie dicto, C. presse, seu proprie dicto, N. Scilicet patres coherentem ad disciplinam tunc temporis vigentem hortabantur fideles, ut sumerent eucharistiam prout administrabatur, a qua recedere privatis hominibus fas non erat. Ut fideles propterea compellerent ad utriusque speciei participationem, urgebant præceptum Christi, quale præsumebatur ex ejus exemplo et institutione, eadem ratione, ac urgebant præceptum Christi, sive cum commendarent baptismi collationem per immersionem, sive pedum lotionem aliaque ejusmodi, quæ non nisi latiori sensu poterant dici a Christo præcepta, uti adversarii nostri ultro concedunt. Non igitur rigorosum ac proprie dictum præceptum patres agnoverunt, quo Christus omnes obligaverit ad communicandum sub utraque specie, alioquin neque patres, neque fideles unquam recessissent ab ejusmodi sumptione, cum tamen constet contrarium passim ab ipsis factum esse, uti certissimis documentis ostendimus. Adde has ipsas patrum crebras oburgationes evidenter evincere, communionem sub unica specie vulgo obtinuisse, alioquin illæ inutiles fuissent.

Ad 2. *Dist.* Reprehendit s. Cyprianus hydroparastatas seu aquarios sacrificantes in solo aqua vel persecutionis metu, vel errore aut ignorantia deceptos, C. omnes promiscue, N, ut constat ex toto epistolæ argumento et scopo, ac solide ostendit Pamelius (3).

ipsam sacrilege dissiparunt, de solis symbolis litem nobis intendunt, perinde ac illi qui, absumpto patrimonio, de nudis codicillis altercantur. Cf. etiam ib. n. 68. et 135. et seqq.

(1) In append. opp. s. Cypri. col. 105. edit. Maur.
(2) Apud Gratianum Decr. III. De consecr. Dist. II. cap. Comperimus.

(3) Adnot. 2. in hanc epist. Cf. edit. Paris. 1374.

Ad 3. *Dist.* Sub alterutra specie, C. sub specie vini, subd. præcepto late sumpto, uti paulo ante exposuimus, Tr. vel C. stricte sumpto, N. Eadem ratione exponendus est s. Augustinus, alique patres, qui loquebantur juxta disciplinam tunc receptam. Præmittendum insuper non est, auctorem citati sermonis non esse s. Cyprianum, sed Arnoldum abbatem Bonæ vallis, uti eruditus notum est (1).

Ad 4. Negamus quidpiam veritatis aut soliditatis habere Callixti animadversionem, qua potius seipsum jugulat. Sane, si fideles sumebant in Ecclesia solum calicem, et panem domum asportabant, jam non unam, sed duas sub unica specie communionem habebimus, primam sub specie vini in templis, alteram sub specie panis inter domesticos parietes. Ridiculum siquidem est contendere, duas communionem per diem, per hebdomadam, per mensem, quandoque per annum sejunctas unam eandemque communionem constituere. Quanquam nec his opus est, cum facta contrarium prorsus evincant.

Ad 5. *Dist.* Ita ut illo decreto Gelasius, prout pridem jam præstiterat s. Leo, perculerit manichæos, C. omnes indiscriminatim, saltem directe, N. Hoc enim fuit peculiare temperamentum ab illis pontificibus adscitum ad manichæos detegendos, ostenditque contrariam consuetudinem inolevisse. Quare vel ipse Leibniz scribit: *In eadem sede (Romana) Gelasius paulo post eos repulit (ex manichæorum, ut puto, reliquiis), qui sumpta tantummodo corporis sacri portione, nescio qua superstitione, a calice sacrati cruoris abstinerebant* (2).

PROPOSITIO V.—Non errat Ecclesia, dum justis causis et rationibus adducta jubet laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub una tantum specie communicare.

Arcto inter se nexu copulantur præsens ac antecedens propositio. Enimvero si nullum extat divinum præceptum, quo omnes promiscue obligentur ad sumendam eucharistiam sub utraque specie, si nulla salutis necessitas id exposcit, jam patet calicis usum rem esse disciplinarem, quæ non afficit sacramenti substantiam. Atqui in Ecclesia, prout declarat Tridentina synodus sess. XXI. cap. II. hæc potestas perpetuo fuit *Ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum veritate, magis expedire judicaret.* Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei; atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum, cetera, inquit, cum venero, disponam.* Ergo potest Ecclesia tali potestate a Christo instructa, omnibus

(1) Hesselius et Pamelius contendunt hunc auctorem non esse locutum in adductis verbis de vera ac propria sanguinis portione, sed de portione spirituali ac mystica. Mihi tamen videtur orationis series huic expositioni refragari.
(2) In Syst. Theol. pag. 246. Cf. *Becanum loc. cit. n. 48.* et seqq.

hinc inde mature discussis, prohibere calicis usum, prout reipsa in conciliis Constantiensi et Tridentino prohibuit; seu potius lata lege confirmavit inolitam jamdiu consuetudinem communicandi sub altera tantum specie. Hinc eadem Tridentina synodus in cit. sess. hunc canonem II. edidit: *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anath. sit.*

DIFFICULTATES. *Obj.* Si quæ legitimæ causæ inducere potuerunt Ecclesiam ad interdicens usum calicis, ex profecto sunt, periculum irreverentiæ, aut scandali; atqui ejusmodi causæ nullæ sunt si conferantur præsertim cum incommodis, quæ ex hac prohibitionem oriuntur. Etenim 1. tali periculo non obstante, catholicis fatentibus, communicatio sub utraque specie in usu fuit per XII. fere secula in Ecclesia occidentali, et in Ecclesia orientali adhuc viget; 2. prevalere proinde debuit universalis et adeo antiqua consuetudo, quæ originem habuit ab exemplo et institutione ipsius Christi; 3. quia demere usum calicis, est mutilare sacramentum; 4. calix enim pertinet ad sacramenti substantiam; 5. utpote qui ordinatus est ad separationem sanguinis, quæ per Christi mortem facta est, significandam, et ad significandum plenum convivium, quod sane non in solo cibo instruitur, sed in cibo et potu; 6. quia denegare fidelibus calicem, est eos privare ea gratia, quæ huic sacramenti parti adnexa est et confertur communicantibus sub utraque specie; 7. qui saltem calicis subtractio adimit fidelibus partem consolationis spiritualis, quam non solum hæretici hussitæ, sed plures etiam ique pii catholici, summopere exoptabant, atque ardentem petebant, ut Gerson (1), Georgius Cassander (2), alique docti et orthodoxi theologi in concilio Tridentino apud Pallavicinum (3); 8. nisi enim Christus voluisset calicem a fidelibus sumi, in eo minime consecrasset (4); 9. eo magis, quod ipsi longo seculorum usu jus præscriptionis acquisierant, a quo minime exciderunt ob contrariam plurimorum desuetudinem; 10. cum demum, aliud sit, ob peculiare circumstantias aliquam regulæ exceptionem pati; aliud vero, ipsam exceptionem tanquam legem ac regulam constituere, uti præstitit concilium Tridentinum (5). Ergo.

Resp. Dist. Maj. Adductæ causæ etiam potuerunt Ecclesiam permovere ad usum calicis interdicens, C. solæ, N. et neg. min. Ecclesia enim, utpote mater nobis a Deo data, non tenetur filiis rationem reddere, cur hac potius vel illa ratione se gerat in suis determinationibus. Quamvis porro eas causas, quibus inducta fuit ad talem legem ferendam minime patefece-

(1) Tract. De commun. laicor. sub utraque specie.

(2) In consultatione de articulis religionis, art. 22.

(3) *Storia del conc. di Trento* lib. xviii. cap. 5. seqq.

(4) Ita novissime Filaret. metrop. Moscov. in op. *Rozmowy między etc. seu Dialogi inter dubitantem et persuasum de orthodoxia orientalis Græco-Russæ Ecclesiæ.* Petropoli, 1829.

(5) Sic Courayerius in notis ad Hist. Conc. Trid. a Paulo Serpio editam lib. iv. § 11. not. 51.

rit, pro certo a nobis tenendum est, eas gravissimas fuisse. Si quid tamen ex concertationibus, quæ agitatae sunt in congregationibus concilii Tridentini, colligere possumus, hæc fuisse videntur: 1. periculum effusionis in magna præserim populi frequentia; 2. nausea et repugnantia nonnullorum in labiis admoventis ad eundem vel calicem, vel calicem, scyphuleculum aut aliud quodvis instrumentum sutorium; 3. maxima difficultas in asservanda specie vini præsertim in regionibus præsertim calidioribus aut nimis frigidis; 4. ejusdem vini inopia in multis locis, ad quæ non facilis est accessus, ut illic inferri possit; 5. multorum naturalis constitutio, qui a vino summopere abhorrent, quique abstemii vocantur (1); 6. spontanea fidelium desuetudo ab sumptione calicis sec. XII et XIII. introducta; 7. hæreticorum protervia, qui temerario ansu Ecclesiæ succensere non verentur, perinde ac si ipsa leges a Christo datas aut ignoraverit, aut contempserit.

Ad 1. *prob. Dist.* Simul tamen non concurrentibus iisdem causis, C. secus, N. Ceterum etsi laudanda sit pia antiqua consuetudo, non ideo reprobanda nova est disciplina. Nunquam Ecclesia positivo aliquo decreto vetuit calicis usum, nisi cum sec. XV. inquieti ac turbulenti ingenii homines eam accusare cœperunt de gravissimo errore ac divini præcepti neglectu (2).

Ad 2. *Dist.* Ab institutione et exemplo Christi, ac traditione apostolorum, disciplinari tamen et libera, atque ab Ecclesiæ auctoritate moderanda, C. præceptiva, ac necessaria ad salutem, N. Aliud enim est institutio et exemplum Christi, aliud vero mandatum; unum enim sine altero optime consistere potest, alioquin alia plura præstare deberemus, quæ neque adversarii ipsi contendunt, ut sæpe adnotavimus.

Ad 3. *Neg.* Totum enim ac integrum habetur sacramentum sub unaquaque specie.

Ad 4. *Dist.* Calix consecrandus, C. calix distribuendus, N. ut constat ex dictis.

Ad 5. *Dist.* In sacrificio, C. in sacramento, *subd.* Quæ tamen separatio satis significatur in alterutra specie, prout superius animadvertimus, C. nullo modo significatur, N. Etenim etiam immersio, qua olim administrabatur baptismus expressus representat dominicam sepulturam, quam infusio, quin tamen censeatur ab adversariis ipsis necessaria, aut præcepta. Id ipsum dicatur de convivio, quod integrum ac plenum est, in alterutra specie, in qua totus Christus sumendus exhibetur, quamvis non adeo expresse cibus et potus seorsim represententur. Alia præterea est ratio convivii communis, alia convivii spiritualis, illud enim sine potu mutilum est, non item vero convivium sacramentale, in quo sub unaquaque specie cibus et potus tribuuntur.

(1) Ipse Wegscheider § 180. A. not. (b) scribit: «Quam fuerint, qui communionem calicis valetudini infestam esse demonstrarent, videndum est, ut pericula inde metuenda præcaveantur et avertantur, v. c. usus calicis, a quo per fistulam vinum sugitur, in nonnullis ecclesiis conservatus, abrogetur.»

(2) Id abunde constat ex historia Callixtinorum. Cf. Aneam Sylvium in *Hist. Bohemorum*, cap. 53.

Ad 6. *Dist.* Privantur fideles per subtractionem calicis aliqua gratia necessaria ad salutem et ex opere operato, N. Quæ haberi posset ex opere operantis, cui suppleri potest ferventiori affectu. *Tr.* Declarat enim concilium Trid. sess. XXI cap. III. *fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari: qui unam speciem solum accipiunt.* Transmisimus autem alterum distinctionis membrum, eo quod theologi inter se disceptent circa fructum accidentalem, qui proveniat ex alterius speciei sumptione, quem alii contendunt inde erui, alii negant (1).

Ad 7. *Dist.* Ita ut possint longe solidiorem consolationem sibi comparare ex obedientiæ merito, C. secus, *Tr.* In his enim quid magis conducat ad fidelium utilitatem et solidam consolationem, standum est Ecclesiæ judicio, quæ ex longo ac diuturno experimento satis comperit, quid magis expediat. Vera ratio, quare nonnulli etiam catholici vehemens illud desiderium concessionis calicis patefecerunt, partim repetenda est ex illa naturæ nostræ affectione, qua nitimur in vetitum, cupimusque negata; partim ex quadam præconcepta spe facilius revocandi disidentes ad Ecclesiæ unitatem (2). Jam vero si ex factis aliquando concessionibus arguere liceat, an expediat calicem restituere, vix unquam expediet. Eas enim concessionem nullos unquam fructus attulisse patet ex iis, quæ fuse disputat Benedictus XIV (3), qui præterea eos omnes recenset quibus etiam nunc temporis eucharistiam sub utraque specie sumere permittitur. Hinc idem pontifex nobili cuidam matronæ, quæ Luthero ejurato, redierat in gratiam cum catholica Ecclesia, privilegium quod petierat, constanter denegavit, ut in privato domus suæ sacello eucharis-

(1) Bellarminus *de Euch.* lib. iv. cap. 25. postquam pluribus ostendit adversus hæreticos, nullum fructum ad salutem necessariam ex unica sumptione amitti, demum prop. 4. statuit: «Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.» Quam conclusionem argumentis intrinsecis et extrinsecis solide adstruit. Tamen Alex. Alensis, et Gaspar Casalius eam in dubium revocant, Vasquez vero in 3. p. s. Th. Disp. 215. cap. 2. censet esse probabilius, majorem fructum gratiæ ex utraque specie hujus sacramenti, quam ex altera tantum percipi. Prior sententia verisimilior videtur.

Ceterum accidentalis hic fructus peculiaris, si reipsa daretur, esset prorsus negligendus, cum graves cause suadent calicem non omnibus esse promiscue permittendum. Ea certe constans fuit Ecclesiæ agendi ratio. Sic quamvis certum sit gratiam ex opere operato tum ab eucharistia, tum a confirmatione parvulis conferri, attamen a pluribus sæculis neutrum sacramentum infantibus Ecclesia administrare consuevit, quin propterea adversarii litem Ecclesiæ intendant. Sed Cf. Bellarm. l. c.

(2) Cujusmodi certe fuit Cassander, qui zeli sui resti abreptus, longius quam par esset progressus est. Quod spectat ad Gersonium, asserere non dubito, eos, qui pro communionem laicorum sub utraque specie ejus auctoritatem adducunt, nunquam hunc tractatum legisse. Acriter siquidem insistit in toto tractatu, ut nulla ratione usus calicis concedatur, invehitur in Bohemos, qui illum expectabant, ostenditque plura incommoda ex ejusmodi concessionem oriri. Cf. ipsum ejus tractatum in opp. edit. Ellics Du-Pin Antwerp. 1706. tom. 1. pag. 438. inscriptum: *Contra hæresim de communionem laicorum sub utraque specie.*

(3) Lib. 2. *De sacrif. Missæ*, cap. 25. n. 17. et seqq.

stiam sub utraque specie recipere posset (1).

Ad 8. *Dist.* Si præter sacramentum nolisset Christus instituire sacrificium, C. si sacrificium insuper instituire intendit, ut inferius ostendemus, N. (2).

Ad 9. *Neg.* Etenim cum Christus sacramentorum dispensationem reliquerit pastoribus Ecclesiæ a se instituta, nullum unquam jus, ideoque neque præscriptionem fideles acquirere potuerunt quovis seculorum decursu. Fideles jus quidem habent ad sacramenta, si legitime ea postulent, non autem ad modum ea percipiendi, quem statuendum, ut vidimus, Christus Ecclesiæ suæ reliquit.

Ad 10. *Esto.* Ex his tamen exceptionibus constat, sumptionem eucharistiæ aut sub una, aut sub duplici specie non spectare ad dogma, sed ad disciplinam. Si res porro disciplinaris est ejusmodi sumendi ratio, jam subest Ecclesiæ regimini, cujus est judicium ferre, utrum expediat necne tali potius modo quam alio communicare. Etiam baptismi collatio per infusionem olim erat exceptio, postea vero Ecclesia, omnibus probantibus, judicavit fidelium utilitati magis expedire, ut ille lege constanti sola infusione administraretur, prout alia pene innumera immutatae disciplinæ exempla pariter evincunt (3).

CAPUT IV. DE EUCHARISTIE NECESSITATE, DISPOSITIONIBUS ET EFFECTIBUS.

Vix superest, qui adhuc propugnet absolutam eucharistiæ necessitatem. Antiquata pariter est impia novatorum doctrina, qui ex præpostero principio de sola fide justificante inferebant, optimam dispositionem ad eucharistiam rite suscipiendam esse gravem peccatorum sarcinam; quamobrem Lutherus scribebat: *Optima dispositio, qua pessime es dispositus* (4), et Calvinus affirmabat, has epulas non prodesse justis (5). Ex eodem principio pariter infere-

(1) *De synodo dioec.* lib. vi. cap. 9. n. 6.

(2) Sic evanescit magna Filareti difficultas. Hic vir nullius fidei, professione quidem schismaticus, at doctrina totus protestans, dum videtur suadere schismatis professionem subditis imperii Russiaci, ac modis omnibus Catholicos ad schisma transferre, doctrinas interim hæreticas lutheranorum et calvinistarum incautus propinat. Imo, ut ejusmodi hominibus contingere solet, ea docet, quæ ad rationalismum recta perducunt, et ad plenam conscientie libertatem.

(3) Apposite Leibniti *Syst. Theol.* p. 251. et seq. «An autem nunc præstet, inquit, calicem reddi populis, hoc est, annon præponderent rationes, quas tot principes et nationes, allegarunt; id quidem definire non pertinet ad privatos sed ad Ecclesiæ rectores, maxime autem ad summum Pontificem, cui concilium Tridentinum totum hoc negotium reliquit. Interea si forte peccarent Ecclesiæ rectores nimia severitate, ipsorum id periculo foret, neque ad subditos perveniret crimen, quos par est obedire. Nihil autem dubito, de rebus hujusmodi statuere posse eos, qui præsent, iisque parendum potius quam schisma faciendum esse, quod super omnia pene mala grave malum Augustinus ostendit. Ecclesiæ quidem potestas definiendi late porrigitur, ad ea etiam (sed certo modo) quæ juris divini sunt, ut patet ex mutatione sabbati in dominicam diem, permissione sanguinis et suffocati, canonem librorum sacrarum, abrogata immersione in baptismis, matrimonique impedimentis, quæ partim ipsi protestantes sola Ecclesiæ auctoritate, quam in aliis sperant, tui sequuntur.»

(4) Apud Bellarm. *de Euch.* lib. iv. cap. 17. n. 1. et seqq. qui plures affert hujus sacrarum emendatoris blasphemias, quæ hic referre non vacat.

(5) *Instit.* lib. iv. cap. 17. § 42. «Meminerimus, inquit,

bant novatores, remissionem peccatorum esse primarium hujus sacramenti effectum. Cum vero hujus doctrinæ jam pudeat novatores ipsos, hinc nonnisi leviter hæc argumenta agitabimus.

PROPOSITIO I. — *Nemini actualis eucharistiæ perceptio necessaria est necessitate medii, sed solis adultis necessitate præcepti.*

Utraque propositionis pars de fide est, a Tridentina synodo definita; nam sess. XXI, can. IV, statuit: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiæ communionem, anath. sit;* et sess. XIII, can. IX: *Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anath. sit* (1).

Sane quod spectat ad primam partem, si actualis dominicæ communionis perceptio omnibus absolute necessaria esset, nemo posset absque ejus actuali perceptione æternam consequi salutem. Constans autem fuit Ecclesiæ doctrina, infantes post susceptum baptismum decedentes æterna frui beatitudine; quippe qui per illud sacramentum fuerint ab originali noxa mundati, et sanctificationem adepti. Exinde factum est, ut postquam abiit in desuetudinem parvulorum communio, nemo reprehenderit disciplinam noviter introductam, quasi hæc esset parvulis pernicioza. Cum olim præterea in particularibus nonnullis ecclesiis obtinuerit lex aut consuetudo denegandi lapsis sacram synaxim etiam in exitu mortis; nemo unquam dubitavit de salute illorum, qui sola absolute rite percepta ex hac vita decessissent, vel illorum, quibus in infirmitate collatum est baptismum, quin ipsis potuerit administrari eucharistia.

Alteram porro propositionis partem, quæ est de necessitate præcepti, qua adulti omnes tenentur eucharistiam sumere, evincunt quoad præceptum divinum aperta Christi verba, Joan., VI, 54: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quoad præceptum ecclesiasticum ostendunt sanctiones, tum concilii Lateranensis IV, in cap. *Omnes utriusque sexus*, etc., tum concilii Tridentini in recitato canone. Ergo.

DIFFICULTATES. *Obj.* 1. Eadem ratione, qua Christus pronuntiavit Joan., VI: *Nisi manducaveritis, etc.*, dixit pariter Joan., III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s. non potest introire in regnum Dei;* et Luc., XIII, 5: *Nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis;* atqui baptismum et penitentiam post lapsum necessaria sunt necessitate medii. 2. Rece-

has sacras epulas ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem: quæ sanis, justis, et divitibus, si qui reperiri possent, nullum afferent operæ pretium.

(1) Hoc canone concilium declarat ac determinat tempus, quo præceptum divinum est executioni mandandum.